

1805

C A S U I S T I C I.

1806

am tamen suam super homines amplius extendit. &c. Cap. II. prae-mittitur is dicendorum Ordo: *Primo considerandum est quid sit penitentia. Secundo quid sit peccatum et quot sint eius species. Tertio que sint peccata et quot pro quibus iniungenda est penitentia. Quarto quis et qualis debeat esse qui penitentiam debet iniungere. Quinto quis quibus et pro quibus possit et debeat penitentiam iniungere. Sexto quomodo sacerdos debeat se habere in audiendo confessiones &c. Septimo et ultimo que penitentia et satisfactio cui peccato sit imponenda.* Haec prolixius descripsi, ut inde fortasse Lectorum quispiam in Autoris notitiam ducatur, quem ego in tanto *Summarum* et *Confessionalium* numero non dispicio. Religiosi illum Ordinis haud fuisse, suadet illud, quod de Religiosis, tanquam de alio hominum genere, passim loquitur. Ita narrat fol. 44. b. Cap. CXIII. *In quodam cenobio infirmus erat monachus, et in tanto calore erat, quod uidebatur ei, quod suffocaretur, nisi cuculla deponeretur. Prior autem nullo modo sustinuit, quod sine habitu iaceret, Dixit quidam medicus, qui praesens erat: Iste suffocabitur, nisi cuculla ab eo ad tempus auferatur; nec iterum prior permisit, et ita suffocatus mortuus est ille. Vnde uirquidam bonus et prudens dixit priori: Nonne fratres uestri quandoque balneantur et tunc uestes deponunt? Quare non similiter, cum monachus est in le-*

*to et fetore sudoris, sua uestimenta potest deponere? Et non potuit prior ad hoc respondere. Credimus igitur, concludit, quod monachus obedientiam non soluit, si habitum suum in tanta necessitate deponit. Quid uero, si absque necessitate? — Fol. ult. adpictum est Schema ordinandi Anni ecclesiastici, e quo liquet, Codicem non multo post an. MCCCXIII. scriptum fuisse. Adjectae voces: *Requiem eternam* impositis notis musicis, et vernacule minio fuscipsum: *Ruer dich held!**

DCCLII.

Codex chartaceus lat. Sec. R. 2089
XIV. Folior. 187. f. multis vocum compendiis exaratus, rubroque distinctus praeligatam habet foll. 2. *Εισαγωγή* quandam in *Psalterium Davidis* antecedente hujus *Pictura* lineari, et sequente feliciter expressa *Facie τῆς Σωτηρίας*. Ejus initium: *In secularium librorum scientia considerari solet, cui potissimum philosophiae speciei quisque liber subponatur Philosophice scilicet, an Ethice, an Loyce. similiter et in diuina pagina &c.* Postea vero: *Incipit. pastorale. nouellum. Rudolphi.* Est illud tributum in *Libros VI.* quorum I. agit de Baptismo, II. de Eucharistia, III. de Poenitentia, IV. de Peccatis, V. de Sacramento Ordinis, VI. de Matrimonio, et quidem carmine, ut hic ingressus docet:

B 3

San-

1807

C O D I C E S

1808

*Sanctorum sacra verba patrum, decretaque Rome
 Pontificum varijs diffuse tradita libris,
 In quibus eterne reperitur causa salutis,
 Pro gravitate sui, pro defectuve librorum,
 Qui legat, est rarus, qui sic intelligat, ut sunt,
 Rarior est; sed, qui servet, rarissimus. Ex hoc
 Causa subest: torpore graui confundimur, immo
 Quosdam paupertas retrahit, ligat immoderatus
 Quoslibet eris amor. Lucrosis artibus ergo
 Inuigilant. Plures ypocras uel iustinianus
 Discipulos quam christus habet. Color optimus ergo
 Ecclesie mutatus hebet, lapidesque sacratos
 Auro fuscato caput accipit omne viarum.
 Plebs panem petit, et non est, qui frangat eidem.
 Ne pereant igitur celestis fragmina mense,
 Et neglecta cadant, ex multis paucula scriptis
 Grana legens precibus rudolfus ego sociorum
 Victus in hunc paruum volui compingere librum.
 Precipue tamen ecclesie septena beate
 Sacramenta canam, quandoque parumper et apte
 Digrediens alia ponam, tamen haut aliena,
 Que morum medicis sunt commoda, taliter ipsum
 Castigans, ut, quos librorum tardat egestas,
 Istius inuitet breuitas, grauitate repulsos
 Alliciat leuitas, pudeat nescire valentem
 Discere, tam modicam pigeat si tollere summam.
 Per metricos libet ire modos, breuis ut liber iste
 Inbibitus teneris seris magis hereat annis.
 Et licet implicito mortalibus vndique vinculis
 Sordeat mea vita mihi, videarque pudendus
 Doctor eis, quorum me conuersatio transit;
 Non tamen indignum certe reor esse, nouumque,
 Prebeat humanis plumbi si fistula potum
 Vt sibus, aut faciem tersites pingat acbillis.
 Presertim libro quia nil reperitur in isto
 Esse meum penitus, sed que dixere probati
 In uerbis factisque uiri, duntaxat eorum
 Abbreuiator ero. Nihil ergo meum, nisi metrum,
 Curandique labor; sunt cetera pneumatis almi,
 Omnes quo sancti sunt inspirante locuti. &c.*

Lon-

1809

C A S U I S T I C I.

1810

Longius me provexit *Claudiani* numerus, qui usque ad prolixi Operis finem Nostrum non destituit, dignum sane, qui in *Historia Poetarum med. aevi* locum haberet, si modo innotuisset *Lysero*. Sed primus eum demum prodidit solertissimus *Bern. Pezius* T. III. *Thef. Anecd.* P. III. p. 629. e Cod. *Benedictoburano*, in quo *Rudolfus de Lubeck* audit; Opus vero perfectum dicitur a. 1323. Est tamen, quod de hujus Subscriptionis sinceritate dubitem. Codex noster amplo Commentario tam inter lineas, quam per margines pollet, minuto quidem, multisque compendiis implicito charactere; legas tamen fol. 1. *Causa efficiens fuit Dominus Ruodolfus quidam nobilis vir de liebeg Canonicus ecclesie majoris Constancie*, et magis infra idem Cognomen *de liebeg*. Nomen *Rudolfi* familiare Helvetis. *Liebeck* arx in Comitatu *Lenzburgiensi*, unde nobilis Familia nomen duxit. A. 1309. *Rudolfus de Liebeck* Canonicus Eccl. colleg. Monasterii *Beronis* (*Beronsmünster*) et a. 1323. Praepositus Eccl. colleg. Cellae Episcopi (*Bischofszell*) sub Episcopo *Constantiensi* memoratur *Stumpfio* in *Chron. Helv.* Nunquid igitur Poetam nostrum, pace *Lubecensis* Urbis, habemus, qui meritorum ergo a Praebenda Collegiata ad Cathedralē ascenderit? Id quod evictum dare possent vetusti *Canonicorum Catalogi*, si qui *Constantiae* etiam dum supersint.

DCCLIII.

Codex chartaceus lat. Sec. R. 2092
XIV. Folior. 62. f. per duas columnas luculente, sed multis vocum contractionibus exaratus, et glossis hinc inde adsperfus, minoque distinctus alterum est Exemplar *Pastoralis Novelli* mox dicti *Rudolfi*, cui Indicem praefixit Manus Sec. XV. quem Exemplar praecedens a prima manu ad calcem habet. Hic accedit Instructio: *De Confessione et primo de hereticis qui sunt excommunicati majori excommunicatione*, dein *Regule theoloyce utiles et infallibiles super audiendis confessionibus*, ut additur *F. Aug. Lombardi* Ordinis *S. Aug.* sed hae mutilae sunt, et *Italos* sine discrimine Nostris olim *Lombardos* dictos fuisse constat.

Ad Codicem compingendum adhibitae sunt Membranae II. e Synodo *Basileensi* datae a *Bernardo* *miseratione diuina tituli sanctorum Quatuorcoronatorum presbitero Cardinale Aquensi uulgariter nuncupato* in absentia *Nicolai* *Card. Panormitani* Majoris *Poenitentiarum* a Synodo deputati. Ad purpuram a *Felice* Antipapa euectus fuerat hic *Bernardus Gallus* O. S. B. Ep. *Aquens.* eamque deinceps respuisse dicitur a *Ciaconio* T. II. col. 940. qui titulum *SS. Nerei et Achillei* eidem assignat. Membrana priorē committitur *Abbati de Clarecampo* Ord. *Cist. Dioec. Traiect.* Inquisitio rixae letalis inter 2. Clericos. a. 1445. Altera datur *Facultas Abbati Celle Angelorum* ejusdem Ord. *Dioec. Patavien.*